

De potestate tituli

Mense Ianuario anno MMXXII postquam munus meum in universitate technica Helvetica inii mater nos visitare cupivit. Propter virus coronarium mihi formularium erat implendum quo magistratibus Turici de itinere matris certiorem feci. Sed numero contagionum morbi coronarii aucto mater iter differe constituit; scrupulose et diligenter nuntium ad magistratum misit: etsi formularium itineris iam misisset se tamen Turicum hac occasione non petivisse. Paulo post responsum magistratus cuiusdam accepit: eam se Turicum non petivisse affirmavisse, sed hoc ei esse demonstrandum.

Quid? Obstupefacta eum magistratum rogavit quomodo is eam se non venisse demonstrare posse mente fingeret. Magistratus hoc non esse curam suam respondit: illud problema matri meae esse solvendum. Mater illud rogatum ridiculum esse affirmavit, sed is magistratus perseveravit.

Irascens mater quid sibi faciendum esset secum volutavit. Denique solutio elegans ei venit in mentem: “Cur non rogatis filiam meam quae professor est universitatis technicae Helveticae? Ea me non venisse confirmare potest.” Post aliquot momenta temporis responsum accepit: “Cara domina Zerbes, scilicet hoc non est necesse, omnia bene se habent. Gratias vobis.”

Aliquot menses post tramine ad universitatem profecta sum cum subito inspector in tramen ingressus est ad tesseras itinerarias examinandas. Mihi ipsae male dixi: de schola impendente congitans tesseram emere oblita eram. Num fortasse illa verecundia Helvetorum adversus titulos possem uti ut poenae pecuniariae evaderem?

Cum paenitentia afflita me professorem in universitatem properantem de tessera non cogitavisse explicarem, indulgente atque clementer is inspector subrisit: “Scilicet vos intellego” – iam gavisa sum – “celeriter in universitatem properare potestis” – laetitia capta subrisi – “multa C nummorum soluta.” Maledictionem!